



Christianissimo
FRANCORVM

ET
NAVARRAEORVM
REGI

HENRICO IV.



QVONIAM opus hoc, quum primùm sic elaboratum prælo describeretur, Maieftati Tuæ, REX CHRISTIANISIME, regni tantùm Navarræ gubernaculum moderanti dicatum fuit: iterata hac editione recusum augustiffimo nomini tuo consecratum meritò manere debuit, postquam diuinâ providentiâ vtriusq; regni, Franciæ & Navarræ caput & dominator effectus es, & accessio tam magnæ potestatis regiam voluntatem tuam in bonas literas literatosq; minimè immutavit. Cui enim iure maiori tam insigne opus inscribatur dicatumque maneat, quàm Regi magno? opus, inquam, in quo prudentissimorum fortissimorumq; Regum ac Ducum, quos vetus historia Græca novit, virtutes regiæ celebrantur & bellicæ res, præclare fortiterq; gestæ magnificè describuntur & laudibus ad cælum tolluntur: in quo fata eorundem ante oculos ponuntur: opus, in quo legendo potentissimi Monarchæ, quorum in numero Alexander ille Magnus & Ptolemæus Philadelphus Rex Aegypti, operam impenderunt: in quo abolendo Adrianus Imperator, inducto pro eo Antimacho, frustra laboravit, Dione referente. Quid quòd in te expressum est viuum artium illarum regiæ ad multos populos feliciter gubernandos & in officio continendos necessariarum exemplar, cuius veluti idea quædã in Agamemnone laudatur? DEVS enim summus exercituum Imperator & regnorum autor conservatorq;, te restituendæ rei Gallicæ destinaverat, quæ exterorum insana ambitione, domesticorumq; funesta dissensione penè perierat. Idem te virtutibus illis reuerendum hostibus iuxta & amicis admirandumque reddidit, quibus labantem rempublicam erigere & fulcire necesse fuit, prudentiâ nimirum & fortitudine verè regia atque heroica, quibus breui temporis spacio perfecisti, vt sedatis perniciosissimis bellorũ tumultibus animisque dissentientium populorum ad harmoniam reuo-

a 2 catis,